

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Woldenberg

Oratio Inauguralis De Usu Graecae Linguae In Omnibus Facultatibus, Artibus, Et Scientiis

Rostochii: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73054849X>

Druck Freier  Zugang



Rupel 1652
Christian Woldenborg





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73054849X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73054849X/phys_0002)

DFG

ORATIO INAUGURALIS *phill. 5.3.*
De
USV GRÆ-
CÆ LINGVÆ
IN OMNIBVS FACVLTATIBVS,
ARTIBVS, ET SCIENTIIS,
Quam

In maximâ, utriusque Magistratus, Academici, & Civici, coronâ, & numerosâ Studio-
rum, utrinque astantium, & assidentium, fre-
quentiâ, 17. Martii,

MEMORITER HABVIT
CHRISTIANVS WOLDENBER-
GIVS, Crempa-Holsatus, Phil. J.U.D, Græcæ Lin-
guæ Professor Ordinarius, & Judicij Provincialis,
quod Sternbergæ est, Advocatus.

*Linus primus Græcorum Poëta in
fragmentis.*

Ἐλατθα γένεται. οὐδὲ εἴς τοι δέντρον
Ράδια πάστα δέω πλέσαι, καὶ μηνύντον δέντρον!

• 6:) 0 (: 6 •

ROSTOCHII,
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.
Anno 1657.





Quod felix, & faustum, proficuum, &
salutare, mihi, totique Academiae esse jubeat,
DEUS TRINUNUS, PATER, FILIUS, ET
SPIRITUS SANCTUS, benedictus in secula,
AMEN.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,
VIRI ADMODUM REVERENDI, NOBILIS-
SIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, PRU-
DENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCEL-
LENTISSIMI, CLARISSIMI, TUQVE GENE-
ROSÆ MASCULÆ QVÆ INDOLIS JUVENTUS,
ET QVOTQVOT HOSPITES ET CIVES AD
ME AUDIENDUM CONFLUXISTIS, TITU-
LIS VESTRIS HONORATISSIMI.



Nnus jam agitur se-
ptimus, ex quo Deo O. M.
auspice, Musis comitanti-
bus, bonis plaudentibus;
malis autem renitentibus,
in hanc Academiam salv⁹
& incolumis perveni; &
paucis interjectis mensibus, Ordinariam Juris

A 2

Pro-

Professio 1657.

Professionem, rite ambire cœpi. Ad quam, et si
non minima mihi semper spes affulserit, dum
non solum propriâ studiorum fiduciâ subnixus,
sed Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Do-
mini, DN. FRIDERICI III. Daniæ ac Norvægiæ
Regis &c. Principis nostri Clementissimi: ut & ,
Illustrissimorū ac Celsissimorum Principum ac
Dominorum, DN. ADOLPHI FRIDERICI, ut
& DN. CHRISTIANI, Ducum Megapolensium,
&c. Dominorum meorum itidem Clementissi-
morum, commendatitiis & elogiis; ut & hujus,
& Gryphisvaldensis Academiarum singularib⁹
testimoniis, & diligentia documentis adjut⁹ fui;
hæc tamen me spes non semel, justo Dei judicio,
decollavit. Progressu autem temporis, post-
quam rigidior nonnullorum censura remiserat,
& pro levibus noxiis suscep̄ta ira deferuerat,
Anno 1653, 23. Julii, unanimi Patrum conscripto-
rum, Consulum, & Senatorum, Academiæ hujus
Compatronorum laudatissimorum suffragio,
Extraordinaria Juris Professio, in antecessum, &
spem subsecuturæ Ordinariæ, legitimè mihi de-
mandata est. Quam in hanc usque diem, diver-
sis speciminum publicè editorum generibus, se-
tundum tenorem Diplomatis super hac mihi
extraditi, & vigore juramenti à me exacti, ~~et addu-~~
~~erunt~~ exornavi; lectionibus publicis, jussu supe-
riorum, quorum voluntati refragari, nefas esse
duxi,

duxi, uniformiter suspensis. Cum itaque hæc Extraordinaria, quæ lectiones de Regulis Juris, & V. S. cum aliquot millium incommodo omis-
fas; quæ introductionem, & mihi, & toti Aca-
demiaæ infrugifera fuerit; & Ordinaria Juris Pro-
fessio, continuâ, eaque septennali contentionis
~~oppa~~^{et} involuta, & reciprocâ litigii serrâ, uni, ac
alteri haec tenus præcisa. Amplissimus ac Pru-
denterissimus Senatus, hujus Academiæ Compa-
tronî laudatissimi, deliberato consilio, justis &
ponderantibus rationibus ducti, mihi interea
reporis, ne entia multiplicarentur, præter necessi-
tatem, & semper cantaret vacuus coram latrone
viator. Professionem Græcæ linguae, M. TAD-
DELII, Virti Clariss: Collegæ, ac amici, dum vixit,
honoratissimi, 23 Februarii, unanimiter & con-
cordibus votis, in pleno senatu comiter obtule-
runt. Hanc inquam Professionem, quam olim
Huesvvedelius, Posselius, Johannes Caselius, ma-
gna hujus Academiæ lumina; in magno totius
eruditorum oœi choro, cum immortali nomi-
nis famâ egregiè administrarunt. Ut racciam ali-
os hujus loci, qui alias numero sunt plures; ad
excitandam majorem erga hanc lingvam bene-
volentiam, in medium produco, communem
totius Germaniæ Præceptorem, Philippum Me-
lanchthona, qui optimo invitatus stipendio, Tu-
bingâ ad docendum Græcas literas Witebergam

evocatus est. Sisto vobis Johannem Capnionem
elegantioris literaturæ instauratorem, Ingolsta-
dii Græcas literas profitentem; Erasmus Ro-
terodamum, verè ἐρασμον & amabilem, Græca, &
Latina in Academiâ Cantabrigiensi enarrantem;
in scenam similiter protraho Rudolphum Agri-
colam, qui primus in Germaniâ, genus sermonis
emendare cœpit, & Latinæ & Græcæ linguæ stu-
dia accedit: quare ei plurimū omnes debe-
mus. Prodeat Petrus Mosellanus, judex inter
Lutherum & Eccium, Græcæ linguæ Professor
Lipsiensis, & communis Misniæ præceptor, qui
cum fido suo parastatâ Melanchthonem, omnes u-
triusque linguæ auctores, tunc extantes, pervol-
uisse dicitur, Joachimus Camerarius, Græcæ lin-
guæ anchora & columna. Et quantas Virorum
insignia, extra Germaniam, in Galliis, Italiâ,
& Hispaniâ, Græcam linguam profitentium seges
oblatura esset? Quam brevi temporis spatio e-
numerare velle, metæ impossibilitatis esse duco.
Sua cuique laus sit illibata, & singuli intaminatis
fulgeant honorum titulis, & veteres, & recentio-
res. Si autem quis miretur, quid sit, quodego,
post longam juri Civili navatam operam, adhanc
spartam obeundam me accingam; hic sciat, me
non deponere jura; nec eadem ita colere, ut hu-
maniores literæ manibus meis excutiantur: Vel
ipsis repono, Martialis versum: Nihil ad Titum,
Sti-

Stichum, aut Sempronium pertinere, de cute
quid faciant, ille vel ille suâ. Cum autem in mo-
re positum, & laudabili majorum instituto intro-
ductum sit, ut novam Professionem auspicantes,
non illotis, quod dicitur manibus, eam arripiant,
sed Oratione quadam Professioni conveniente,
auditorum animos demulceant, atque ad novâ
Professionis utilitatem eosdem invitent. Hunc
in finem, optimum, & Professioni huic
convenientissimum, uti arbitror, selegi the-
ma, nempe: De Usu Lingvæ Græcæ in omni-
bus Facultatibus, Artibus, & Scientiis: illis,
quæ de Origine, Dignitate, & Necessitate copio-
fissimè dici poterant, uti sæpius auditis, alteri lo-
co, & tempori reservandis. Quod dum facio,
omnes & singulos, debitâ animi submissione
rogatum venio, ut me, brevibus & concisim de
Utilitate hujus lingvæ dicentem, bibulis auribus
audire, & suæ gratiæ favoniô, ad dimidiæ horulæ
spatium sublevare haud graventur.

T.P. Atticus, A.Q. sic Græcè loquebatur, ut Athe-
nis natus esse videretur. Et M.T. Cic. l. i. Offic.
in hac desinit verba: Ipse ad meam utilitatem,
semper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in
Philosophiâ solùm, sed & in dicendi exercitatio-
ne feci. Idem illud facundiæ Romanæ decus, an-
non antequam in Latinâ lingvâ dicendi speci-
men ederet, Eloquentiæ tyrocinium Græcè de-
cla-

mando exercuit? Imperatores Romani, ut lo-
quitur Svetonius, semper locuti Græcè, sive didi-
cerunt. Idem testatur de nobili Paulâ, multarum
linguarum, quas ad colum cecinit, peritiâ. Sem-
pronia, teste Salustio, literis Græcis & Latinis do-
cta, quemadmodum Fulvia Olympia, superiori
Seculo Basileæ, & aliæ quamplures nostro seculo
satis notæ. Non dicam jam de Pico Mirandula-
no, qui nondum juventutis annos egressus πεντά-
γλωσσος fuisse dicitur, non dicam de Pirchaimero,
Casaubono, & infinitis aliis. Livius libro nono,
ab urbe conditâ tradidit, morem suo tempore
fuisse, ut Romani pueri literis Græcis erudiren-
tur, quod etiam Quintilianus ab infantia fieri de-
bere contendit. Cato senex Linguam Græcam
didicit, suo exemplo, utilitatem illius, aliis omni-
bus ὀφθαλμοφανερῶς demonstratus. Verum pro-
inde est, quod Orator Romanus dixit: Extin-
cto lumine Latinarum, & Græcarum literarum,
omnia densissimis ignorantia tenebris sepulta,
atque obruta tenentur. Omnis quippe elegans
doctrina, omnis cognitio, digna hominis inge-
nui studio, uno verbo, quicquid uspiam est poli-
tiorum disciplinarum, nullis aliis, quam Græco-
rum libris, ac literis continetur. Græca lingua
omnis elegantia magistra, omnium ingenuarum,
ac liberalium artium, omnium Facultatum supe-
riorum parens, altrix, conservatrix. Objetas,
& hu-

& humi defixas animas, quæ re odio prosequuntur! Οὐτόσια ἀχθεὰ ἀρρέψεις, & verè inutilia terra ponda, quæ te discere detrectant! Quid estis, vos Theologi, Jurisperiti, Medici, Philosophi, hujus linguae lumine destituti? Cacologi, ^{Mata-}
^{λογοι}, Jurisceriti, Mendici, Medicastri, Morosophi, verbo, lutum maceratum, σκύβαλα, & si quid vilius istis, Nihil. Quod ut pluribus deducamus, & probatum demus, ordine omnes Facultates, Artes & scientias sine anfractu percurrent, usum Græcæ lingue, & utilitatē, luce Meridianā clariorē in illis adūbraturi. Cum itaq; mentis acie converto ad Theologiam, ^{ηγών} & fontem omnis salutis, maximum hujus nostræ lingue usum in eadem deprehendo. Quis enim sine hujus præviâ scientiâ Christum per Apostolos in N. T. loquenter intelliget? Nemo. Quis verba vitæ, pabulum animæ sine hac percipiet? Nemo. Quis à Græcâ desertus, controversias sœpe in phrasi, & particulâ latentes discutiet & enucleabit? Nemo. Ecquis bonæ salutis templum ingressurus, illud, quod Basilio, ^{Ἐψυχῶν κοινὸν ῥαιγεῖον, καὶ πάντων ἀγαθῶν κοινὸν ταχεῖον}, non animadvertis in antefixis, tricubitales & miniatas literas, non Pythagoræotū, ^{ἀριθμούμεντος}: sed ^{ἐδίς αὐτοῦ γένετο} ἐστίν? Quod si talis accesseris, non sanè egrediēris doctor: salutem enim de salute nostrâ ad nos per suos præcones differentem, non intellexeris, non istos Basilius Magnos, Gregorios Theologos, Chrysostomos,

mos, Athanasios, Theodoretos, Cyrillos (viro-
rum divinorum divina nomina) non perceperis,
ut Græcis his hastis, tanquam amentatis usi, ad-
versarios & illusores adorti sunt, ac Gentilium
Pyramides diffilarunt, uti venter folia, aut panni-
culum cectorium, quorum πανοπλίαι apertam po-
steri invenerunt, & quæ ibi dabantur selectiora,
latinæ consuetudini tradiderunt. Quid multis?
Ut sine literarum sacrarum verâ notitiâ, Græci
αὶ παιδεῖς, ἄδεις γέγον (quod Soloni Ægyptius objecit
sacerdos) sic contra, qui sanctiores volvunt pa-
ginas, hâc lingua posthabitâ, nunquam Viri, nun-
quam Senes evadunt. Gregorius Papa in Epi-
stolâ ad Narseten, conqueritur, se Græca nescire,
nec esse Constantinopoli, qui Latina Græcè con-
vertere possit. Quod si ad Jurisprudentiam pro-
gressum faciamus, copiosior se dicendi materia
aperiet, dum usum hujus linguae in eâdem, extra
omnem omnium strepitum, cuivis ob oculos po-
nere, serio allaboramus. Quid, quod sequiores
de usu hujus linguae in sanctâ nostrâ Jurispruden-
tia sententiae, quas altius multi animo imbibe-
runt, penitus veniant evellendæ. Voces funestæ
hic erunt amputandæ, raucæ plebeculæ jaæstatio-
nes susq; deq; habendæ, veritas rei inquirenda,
& usus hujus linguae Jurisprudentiae in primis as-
serendus restat. Quod si hic mihi οὐτε τεμάνηται
ἄγογᾶς, οὐ κρόταλος obstrepat, λίγοις νὴ φλυαρίαις, con-
tra-

trarium astruat, huj*o* dicta omnia elevabo, & me-
raparadoxa exhibeo. Omnes maximum ro-
bur, sed valde ficulneum ponunt in summo juris
nostr*i* antistite Accursio, qui forte fortuna, magis
condolendo, quam probando in §. 2. in gl. 7. de
Contra Empt. Et vend. dixit: Græcasunt, Ergo legi
non possunt, scilicet, ut additur in additione, ab
artis ignaro; Cujus si Accursium, summo inge-
nio, & memoriam, maximamq*ue* doctrinæ civilis co-
gnitione instructum, autorem constituunt, ab
eius accursu longè aberrant, summoq*ue* & incom-
parabili viro (quem suæ crudelitatis & imperitiæ,
ne dicati ignaviæ, patronum sibi adsciscere & ag-
gregare cupiunt) manifestam faciunt injuriam;
cujus eos convincit ipsa Glossa Accursiana, ad L.
6. in verbo edicto. D. de Bonor. Posse*s*. his apertis &
perspicuis verbis: Græcae literæ possunt intelligi,
& legi. I nunc, & perficia frontem, qui in hoc
re non aliter, ac in quadratis parietum septis fun-
dasti, pudeat ex ipso Accursio refutationem hau-
rire: Eodem modo ridet Bartolum nostrum Lu-
dovicus Vives, lib. 1. de causis corruptarum artium,
tribuitq*ue* ei dictum, de VERBIBUS non laborat
Ictus, quod unde hauserit, vel acceperit homo
Hispanus, mihi non constat. Quia tamen risus
facile comprimetur, si curam verborum non ab-
jecerint veræ, non simulatæ Philosophiæ Secta-
tores; cujus illis exemplum inter alia plurima,

quod imitentur & exprimant, proponit *Paulus*
f. C. in L. 7. s. I. D. de Edend. Vocis iterum signifi-
catione, ad duas Græcas δεύτερον καὶ πάλιν confor-
matâ. Sed istos, quos supra dixi, eisq; non ab simi-
les, aut meliores alios, veteris comædiæ nigro sa-
le perficandos, vel potius, suo δέχαισθαι relinquam-
us, stabili decreto doctissimorum ab omnium
æstatum memoriâ innixi, liberalibus hisce studiis
(quæ inter familiam dicit Græca lingua) negle-
ctis aut contemptis, necessum fore, ut omnis erudi-
tio doctrinæ inculta relinquatur, & quasi filix
barbarie Musarum agris innascatur. Suntis A. O.
à primis usque Jurisprudentiæ nostræ principiis
rem repetamus, & expendamus, quis usus Græ-
cæ fuerit linguæ in intaminatâ, & nullo nummo
pecuniario æltimandâ nostrâ Astrââ. Nonne
principia Juris nostri Romani, Leges Draconis
& Solonis, Græcè sunt scripta? Nonne Decemvi-
rii (quorum nomina referuntur *inc. 2. D. 7.* Ap-
pius Claudius, T. Genucius, P. Sestius, Sp. Vetu-
rius, C. Julius, A. Manlius, Serv. Sulpitius, P. Cu-
ratius, T. Romilius, Sp. Posthumius) publicâ au-
toritate constituti, ut leges à Græcis civitatibus
peterent, & civitatem legibus fundarent? *L. 2. S. 4.*
D. de O. f. Nonne Hermodorus Ephesius exu-
lans in Italiâ, harum ferendarum legum autor fu-
it Decemviris? Nonne harum legum crebrior in
Corporc Juris, uti vocatur *in L. 1. pr. C. de Rei uxor-*
action.

action. fit mentio? Annon, sapius HOMERI,
PLATONIS, ARISTOTELIS, HIPPOCRATIS,
DEMOSTHENIS autoritates ad corroboran-
dum leges adducuntur? Quinimò, cum omnes
Digestorum libri adeò Græcis vocibus pleni sint,
verba sunt Christophori Hegendorphini, JCri in
consilio de cōpendiariâ discendi iura ratione, ut
vix Athenis tot ululæ fuerint. Cum subinde à pri-
scis JCris ad Græcorum literas tacitè alludatur,
Græcam linguam calleat oportet is, qui juris ci-
vilis adyta penetrare concupiscit. Quis nunc igi-
tur tam stupidus est, ut non intelligat, se tunc ma-
turum legibus civilibus adeundis fore, cum to-
tius Philosophiæ, cum tām Græcæ, quām Latinæ
linguæ peritiam sibi comparârit? Et si nihil ho-
rum quempiam adhuc movere potest, eum certe
tn. Imperatoris Justiniani Edictum perpetuum, in
cujus verba juramus, fulguris quodam cœstro per-
cellet, verba ejus hæc sunt, in Ep. 2. Dig. præfixa:
Jam per nostras orationes tām Græcā
linguā, quām Romanorum, quas æter-
nas fieri optamus, explicita sunt.
Hujus itaque linguæ præsidio muniti, inclytam
legitimæ eruditioñis viam ambulare possunt.
Non moramur stultos istos præceptores, & sto-
lidos parentes, qvi qvandoq; pueris persuadent,
ne Græca discant, qvoniam juri operam daturi

sunt: Hi enim non secus faciunt, ac si dicant: Filius meus quidem bonis literis incumbet, sed alius manebit. Omnia enim sine hujus munimine, manca, mutila, & imperfecta relinquentur. Interim non negamus, quod viri sint, & fuerint longo rerum usu, & meritis in Rempublicam collatis celebres, absq; hujus linguæ exquisitâ scientiâ. Ad hæc regero, quod probè dijudicandum Triplex Iuris-Consultorum genus. Vnum quod vivit in aulis Cæsariorum, Regum & Principum, qvibus hujus linguæ scientia maximum conciliat ornamentum. Alterum, quod vivit in Academijs, Gymnasiis & scholis, qvibus necessarium requisitum, sine quo non emergere, nec officio suo satis facere possunt. Et si quis tecum super his contendere velit, ei, omissis omnibus alijs, qui numero bene multi sunt, Iuris titulis, propono titulum de Auro & argento legato, hunc legit, relegat, voluat, revoluat, expendat, & inquit, & vires periclitetur, num sine hujus linguæ exquisitâ ratione, eum intelligere, nedum alijs explicare possit. Tertium genus est, quod vivit in foro, vultures ut plurimum togati, nugigeruli, nugivenduli, vitilitigatores, fori purgamenta, alastores, abydocomæ, qui illico patrocinij somite, miserorum bona abliguriunt, hi statutarij Doctores hujus linguæ usu non adeo magnopere indigebunt. Scimus præterea, etiam inter illos dari,

ri, qv in non mediocrem hujus linguae usum sibi
singulari studio, & diligentia acquisiverunt,
quibus suam non cupimus imminutam laudem.
De Agyrtis saltem loqvimur, & illis, qvi collati
cum alijs, bene sciunt, qvid humeri ferre possint,
& qvæ recusent, nihilominus multis præferri sa-
tagunt, cum hi suam inscitiam aliis damnosam
fore animadverant. Quis tam bliteus, blennus,
ceritus, ac catamitus reperiatur, ut concurrenti-
bus duobus, qvorum alter exacte Latinè & Græ-
cè doctus, legumq; scientiâ non vulgari, Philoso-
phorumq; doctrinâ necessariâ imbucus, alter au-
tem nudâ legum superficiariâ cognitione instru-
ctus foret, illum non huic præferret? Nemo sane,
nisi qvi cerebrū in calcaneo habeat, & cœlum &
terrā miscere intendat, & publicū bonū privato
cōmodo turpiter eludere conetur? Ut aliorum
omittam judicia, ad unicum Claudiū Cantiun-
culam, Iuris Consultum magni nominis, qvi pri-
mūm Topicā juris & paraphrasin institutionum
nobis reliquit, provoco, hic nobis sit instar om-
nium, hujus sensis verba, aculeos relinqvant in a-
nimis auditorum. De Græcis qvoq; literis, inquit,
in discursu de ratione studii legalis: tamen si mihi tām
amicus Hercules nondum contigerit, ut eas vel
ā limine salutare licuerit: dicam tamen, quod
sentio; Evidem quām grave malum sit in jure
civili, Græcarum literarum ignorantia, non le-
vicu-

viculis conjecturis, sed experimento deprehen-
di, & quotidie magno meo cum incommodo
deprehendo. Nihil hac in parte præjudicatum
afferam, tantum indicabo, quantus sit in Pro-
fessione juris, Græcarum literarum fructus. Cos
enim, licet expers secandi sit, ferrum tamen
acuit. Principiò certum est, Tribonianum ea,
quæ à Jurisconsultis Græcè scripta invénit, co-
dem sermone transcripsisse: quemadmodum
vel hodie extant pleraq; Jurisconsultorum Græ-
ca responsa in emendatis Codicibus, h.e. in Flo-
rentinorum Pandectis. Quorum multa restituta
legas in Dispunctionibus Andreæ Alciati, quem
Juris Civilis apicem, & doctrinæ legalis thesau-
rum appellare, suo merito possumus. Deinde
scribit eminensissimus ille Budæus, quem du-
bito, scientiâ rerum, an eloquendi suavitate,
an inventionum acumine clariorem putem: is,
inquam, scriptum reliquit, totum pene titulum
de Excusationibus tutorum, à juris autoribus,
putâ Modestino, Græcè scriptum fuisse, quod
& Antonius Augustinus, Jurisconsultus Hi-
spanus confirmat. Authentica ipsa Justiniani,
(quæ & reaguntur dicuntur, & Collationes vocantur)
Græco etiam sermone edita fuisse, probat Codex
Authenticorū Græcus ab Haloandro Noribergæ
ante seculum editus. Quid, quod ea, quæ in tribus
novissimis libris Codicis leguntur, à Græcis sumpta
sunt?

sunt? Et ob id ante Alciati editas annotationes,
magnâ ex parte non intelligebantur. Jam vero
quæ à Juris Consultis Græco sermone fuerant
edita, ac responsa, tandem indoctiore seculo
quodam, cum pauci jam Græcè scirent, in La-
tinum versa sunt: sed ab ijs, qui nec Græcè, nec
Latinè satis scirent. Cujus rei testis est Authen-
ticorum, & ducentorum in Pandectis locorum
Stylus, sordidus & obscurus, & in tribus libris
Codicis non admodum castigatum dicendi ge-
nus. Quain parte in multis locis juris perniciosè
erratum est. Hoc itaq; meum consilium, juri de-
stinatus adolescens seqvatur, ut qvod M. Cic:
filio suasit, ad suam utilitatem, semper cum Græ-
cis Latina conjungat. Qvod & ipsum me ali-
qando, verba sunt Cantiunculæ, si per fata liceat,
tentaturum spondeo. Sed qvid antiqua enumera-
mus? Prodeat ex hac Academiâ Professor juris
Celeberrimus, Thomas Lindemannus, meritis
in Academiam collatis clarus, quem non piguit
Professorem, si non discere, certè summopere in
ijsdem exerceri. Quod si nullum ejus usum
fuisse credidisset, certe bonas horas, illi studio
nunquam tribuisset. Et qvid ulterius immoror
juri Occidentali? Pergam & similiter jus Orien-
tale examinemus, sic contestim evincemus, ma-
gnum hujus lingua in eodem esse usum. Post
Justiniani enim imperium, multis annis, Basilius,

C

Con-

Constantinus, & Leo Legum volumen ediderunt
τεόχαιον, deinde libros sexaginta βασιλικῶν, quos jam
recens unā cum Scholiis & Glossis interpretum
Græcorum septem voluminibus Carolus Fa-
brottus Aqvisextiensium Decanus ex Galliæ Bi-
bliotheçā Regiæ inclusos edidit. Quibus postea
succesit Constantinus Harmenopulus, qui omis-
sa supplere, confusa distinguere, actotum pené
opus dissolutū absolvere conatus est, eundemq;
titulum suæ epitomæ attribuit, ut τεόχαιον quoq;
vocaretur, vel εξάβιβλος. Huc spectat jus Orientale
Græco-Latinum Enimundi Bonfinij: Huc spec-
tant Glossæ Stephani, Nicæi, Thaddæi, Eusthatij
Eudoxii, Isidori, Basili, aliorumq; Iuris-Consul-
torum Græcorum, qvæ ut Glossæ Accursianæ
margini βασιλικῶν adjectæ sunt: Huc spectat synop-
sis Michaëlis Attaliatæ, jussu Michaelis Ducæ
imperatoris circa annum M. L X X. consarcina-
ta. Huc spectat synopsis Michaelis Pselli, & Jo-
hannis Leunclavii, qui è Bibliothecâ Johannis
Sambuci, Pannonij (qui postea fuit magnus Po-
loniæ Cancellarius) anno M. D. L X X. ἐκδογὰς
βασιλικῶν edidit. Ecquis qvæso jam horum à me
enumeratorum qvicqvam intelliget, ab hujus
linguæ usu & exercitatione exclusus? Quis voces
vocibus, phrases phrasibus, & integras orationes
orationibus adaptabit, nisi hujus linguæ benefi-
cio adjutus fuerit? Nemo. Dices, omnia in Lat-
num

num sunt conversa: reponitur, rudibus, & artium
expertibus, non Doctoribus, & Professoribus, es-
se translata. Hienim, omnibus & singulis exto-
ta Europâ in Academias advolantibus, non ex
versionibus, si consulti fuerint, sed secundum
fontem ipsum respondere tenebuntur. Ludo-
vici igitur Vivis cottabos bubulos, Accursius me-
tuat; Aliorum è suô ludô animadversionem su-
stineat Bartolus. Ab eo profectò tempore, qvo
à Budæis, Alciatis, Zasiis, Chassanæis, Cujaciis,
Forcatulis, Muretis, Balduinis, Duarenis, Forne-
riis, Curtiis, Prateis, Drotæis, Regiis, Merceriis,
Baronibus, Ferrariis, Molinæis, Paciis, Gothofre-
dis, Freheris, Donellis, Ritterhusiis, Giphaniis,
Cunæis, Bachoviis, Grotiis, mausacis, Ostermânis,
Vinniis, Tuldeniis, & juris luminibus aliis, non
tâm ex Bartolorum Baldorum, Alexandrorum,
Iesonum fusis & contortuplicatis commentariis,
qvâm novem Dearum lacte, & Græcæ sapientiæ
melle, genuina edictorum mens hausta est; mun-
di Regina Iuris prudentia, ex fetali pollinctorum
potestate crepta, & in æternitatis asylum asser-
ta est.

Ad vos ulterius contendô, Experientissimi Viri,
quorū Ars Deo digna est habita, ut veleter loquitur
Hippocrates, vestra simul qvæsiturus suffragia:
sed ecce, dum vox adhuc sub lingua, vestra mi-
hi ad

hi aduersum confessio: omne nostrum pe-
culium ex Græcia paratum: Inde Apollo
noster, oculariæ inventor, inde Chiron Chyrur.
gus, inde Æsculapius, Clinices repertor & cura-
tor, inde Machaon & Podalirius, inde omnis
Medicinæ parens Hippocrates, Oribasius, inde
Informator Galenus: Nec nostra quidem dignè
nominamus sine Græcis literis, sive Pharmacæ
sive cataplasma, Enemata, sive Unguenta, s.
Potiones, aut ceromata: Animantium, herbarum,
morborum, instrumentorum, & quæcunq; ho-
rum nostra subministrat officina, nomenclatura,
Vos Græci, vestra est. Vestra Regio nos genuit,
Nos aluit. Archagatum primo ex Peloponneso
Romam translit, eiique jus Quiritum dedit, &
tabernam in compito Acilio publicè emit; auto-
ritas aliter, quam Græcè nostram artem tractan-
tibus in mediâ Româ, apud Imperitos, exper-
tesq; lingue nulla erat. Quis plantas aliter, ca-
rumq; genuina nomina, quam ex Dioscoride
Græco addiscet? Græcos illos Duuniviros,
Arabum anteponimus laciniiosis & lacunosis in-
terpretamentis, Bombastorum aureolorum,
archidoxis opponimus, eorum autem omnium
in jugulum mittimus, qui solent cum Cratero,
magno, ut ait Persius, promittere montes, qui-
bus portentosa scientiæ venditatio, capitalis in-
scitia

scitia, ostentatio artis, ars nulla, nisi ut Plinius
pergit, impunè occidendi. Priorum institu-
tum, hoc, & superiori seculo feliciter imitati sunt,
Erasti, Meüreri, Gesneri, Scheckii, Bauhini, Ca-
nonherii, Sennerti, Sebitii, Weslingii, Aldro-
vandi, Meybomii, Bartholini, Wormii, & insi-
nitiali, in quibus recensendis, dies ipsa me defi-
ceret. Hi bene perspectum habuerunt, Græcam
linguam fontem esse omnis eruditionis; Lat-
inam rivulos inde ductos. Unde Cicero sub perso-
nâ Varronis, *prima Academicâ*: Meos inquit, ami-
cos, in quib⁹ est studiū, in Græciam mitto, i. e. ad
Græcos ire jubeo, ut ea ē fontibus potius hauri-
ant, quam rivulos consequentur. Conjungenda
enim est sapientia cum eloquentiā, quæ utraq;, &
felicius & facilius ē scriptis Græcorum disci po-
test, quam Latinorum. Te igitur Atticam Ci-
vitatē quibus prosequar laudibus, quibus tol-
lam encomiis? Ελαδον Ελάδα dicam, aut quod
idem est, Græciæ Græciam? Honorem tibi hunc
habet sincerus rerum pronuntiator Thucydides.
Vestam ac aram Græcorum? sic de te, qui in
summā apud te veneratione, Pythius, Ερεσμα ac-
que munimentum patriæ tuæ? Detulit ante hanc
gloriam Pisidarus; πευτερον τῷ κέρυψῃ καὶ κοινὸν με-
deum τελον πάντων ἀνθρώπων; præverterunt me alii. Vah
quam erat olim probosum Athenas non vidis-
se, aut visis delectatum non fuisse, quam de re Ly-
sippus Comicus asperè:

E

Εἰ μὴ περιέσται τὸς ἀθηναῖς σέλεχτος,
Εἰ δὲ περιέσται, μὴ περιέρευσαι δ' ὄνος.
Εἰ δ' εὐ αρεσκῶν ἀπορέεχεις, κανθάλιον.

I. e. Tu truncus es, si non Athenas videris

Si visæ Athenæ non inescant, asinus es:

Si non grave has relinquere, es cantherius,

Non habeo oraculo verius, quod tibi redditum
quondam, te ἀεὶ δὲν εἴ τε φέλησι aquilam in nubibus.

Hinc omnes artes, & scientiæ te unam veneran-
tur, te unam colunt, te unam exosculantur. To-
ta Philosophia, in genere, & in specie tua est, tua
omnis Historia, tua omnis Oratoria, & Poësis.

Tantus autem cui in omnibus Philosophiæ par-
tibus usus est, quantus ad ullum ex crebrâ Græ-
corum scriptorum lectione derivari potest. Hinc
vanus eris in Aristotele, vanus in Platone, vanus
in Proclo, vanus in Ammonio, vanus in Porphy-
rio, vanus in Alexandro Aphrodisiensi optimo
Aristotelis interprete, vanus in Themistio, vanus
in Aspasio, Eustratio, & veteri Politices interpre-
te Argyropylo. Quid quæso in Metaphysicis,
quid in Physicis, quid in Ethicis ac Politicis si-
ne hujus lingvæ usu præstabis? Nihil. Non
te Scholasticorum lacunæ, non te Tartarerus,
Occama & alii juvabunt, sed sæpe unicâ voce o-
mnes dubii nebulas Græcus Aristoteles discutiet,
& dissipabit. Hinc optimo majorum consilio,
Aristoteli Philosophia, uti & in hac academij usita-
rum,

tum, in plerisq; Germaniæ Academiis recepta est.
Quinimò decretum ab Augustanæ confessi Antistitibus, ut Practica præsertim Philosophia Græca Aristotelis, in omnibus Germaniæ Academiis, Gymnasiis & Scholis intacta servaretur. Non dicam jam de Physicis & Metaphycis libris, qui quandoq; obscuriores, & à communi dicendi usu abludunt, sed de Ethicis & Politicis & Rhetorics Arist. Libris. Per DEUM vivum, quanta ibi elegancia, sententiarum congregata vis, phrasium efficacia & puritas, adeò, ut ex his solis hujus linguae usus innotescere possit. Si progrediamur ad artes, & singulas ordine ponderemus, nonne usum Græcæ linguae aperte in iisdem cernemus? Nonne omnis Grammatica, quæ voces technicas, & notiones secundas, quæ Etymologiam, Orthographiam, Syntaxin, Prosodiam hujus nostræ linguae ope & auxilio summopere indigebit? Hinc Syllepses numerorum, Generum, Synallagas, & hypallagas, & Pleonasmos ruminabis. Si Organum Aristotelis ἐγγράφων, Χειροτεχνίας φιλοσοφίας à limine salutes, hujus usum, metacente animadvertes, non quæ res solum, de quibus nullum est dubium, sed quæ voces. Hinc Logica, syllogismus, Topica, Sophistici Elenchi, usum hujus linguae infallibiliter presupponunt & requirunt. Pugnus est Logica, quam palmæ instar dilatat Rhetorica; hanc jejonus sine hujus usu

exco-

excole, hanc profiteberis, & sine hujus usu non
intelliges, quid dices. E Græcis vim & chara-
ctera dictionis addiscas, è Græcis quā Rhetorica
præcepta, Isocratem Aristoteli comparabis, Huc,
huc te confer, & decem Græciæ Rhetoras intue-
re, huc, huc te confer, & Isocratem & Demosthe-
nem Wolfi perscrutare; hic latet solidas scientias,
hic cumuli & thesauri absconditi sunt omnis e-
ruditionis. Conspicare Vlpianum Ictum, attri-
ge aures, & attende, quomodo hic Demosthe-
nem non solum legerit, sed summaris in tuum
& meum illustraverit usum. Ciceronem imita-
re. Hic enim non latinè tantum, sed Græcè etiam,
in confessu Doctorum hominum, maximaque
cum eorum admiratione peroravit, præsertim
Rhodi, ubi Apollonius Molonis F. hanc ei lau-
dem tribuit, quod etiam eloquentiæ, & doctri-
næ palmam Græcis præripuisset. Plutarchi ver-
ba in Vita Ciceronis: Σὲ μὲν ὁ κικεζῶν ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω,
τὸς δὲ ἐλάσσοντερων, τὴν τύχην ὅδων τὰ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν
ὑπελάπηται, καὶ ταῦτα Παρμανίου Διὸς σὺνεργενόμενα. Quicquid
enim eruditionis, & elegantiarum Græci scriptores
habuerunt, id Cicero in suas Orationes, & libros
transtulit. Qui si repetundarum à Græcis po-
stularetur, & quæ ab eis mutuatus est, restituere
cogeretur, parum admodum restaret illi. Ubique
enim occurruunt Platonicæ, Aristotelicæ, Isocra-
ticæ, Demosthenicæ, aliorū deniq; verè omnium
in pri-

in primis vero Stoicorum & Epicureorum, in illius
operibus partim conversæ, partim solerti imitatio-
ne expressæ sententiæ. Et quis est Orator, qui non
divinos miretur libros Aristotelis Rheticorum?
Quis non libenter P. Victorium, Borrhaum, Feli-
cem Accorambonium eosdem Commentariis illu-
strantes adeat? eosq; in succum & sanguinem con-
vertat? Quis non *diatopatias* Aphthonii pro gymnasma-
ta & theonis in fontib9, interveniente hujus lingue
usu, per volvat? Omnes sanè, quotquot, nemine
excepto, orbis doctus adorat, & veneratur. Non
dicam jam de Epistolis Aristenæti, Demetrii Phale-
rei, & Ilocratis, quem usum in hac præstent lingvâ.
Major enim est, quām ut dicendo à me condignè
perstringatur. Nec aliter se res habet in Divinâ Ari-
stotelis Poëtica, quæ omnis reconditæ & abstrusæ e-
ruditionis penu salutatur. Hic sanè se nostræ lin-
guæ maximus exerit usus, cuius beneficio naturam
eiusdem, originem, comædiam, differentiam Epo-
pæiæ ac Tragædiæ, partesq; ejus ritè addisces. Hinc
fabulam cum oœto ipsius proprietatib9, hinc ~~seminas~~
& agnitionem ex textu Græco hauries eleganter:
hinc terribile & miserabile parabis; hinc poëtarum
præstantiam dimetieris. Ex hac poëtica, elocutio-
nis partes, nominis species & genera, nomina pere-
grina, & translata cum propriis temperanda, & mo-
dum in usu variorum nominum servandum, & si
quid præterea hisce assimilandum, cognosces. Hanc

D

poe-

Poëticam, Antonio Riccobono duce legis, sed Francisco Robortello Florentiae in folio edito interprete & commentatore, præviâ hujus linguae notitia, intelligis. Poësis enim vulgi, Græcorum fuere Biblia: Orpheus, Homerus, Hesiodus & reliquie eorumdem Prophetæ atq; Apostoli, si de istis nugatoribus italo- qui fas est. Afferit & Plutarchus, ὅτι τῶν ποιητῶν μυθῶν εἰκόνα φιλόσοφος: si itaque vis patrem virtutis Homerum, uti à justiniano nostro vocatur scire, & ex eo Physica, Ethica, Politica καὶ γεγέλματα connotare, Græcam lingvam nocturnâ, diurnâq; manu, ut volvas, necesse est. Hinc primum totius Græciae poëtam Linum Phœnicium, Orpheum, Thamyram discipulum Lini, Ariona, Amphiona, Musæum, Homerum Epicorum principem, Hesiódum, Æschylum, Pindarum, Alcæum, Stesichorum, Ibicum, Anacreonta, Bacchylidem, Simonidem, Alcmanum, Euripidem, Aratum, Aristophanem, Philetam, Menandrum, Sophoclem, Callimachum, Theocritum ordine evolves, & linguae Græcae cim-meliis ditatus, perdisces, quod Josephus Scaliger brevi temporis spatio perfecisse fertur. Quid de Historiâ, vitæ magistrâ dicam, anne hæc hujus Græcae Linguae usu carere potest? Neutquam, res ipsa me tacente, loquitur, & ultima totius historiæ, quæ ad nos pervenit, principia, Græca esse evincit. Hæc nobis post sacras literas elegantem exhibet Herodotum, secundum Thucydidem, melleum Xenophon- tem,

tem, & veri assertorem Diodorum Siculum. Hæc fa-
cit, ut magni judicii Plutarchum, & ingeniosis exor-
diis insignitè memorabilem Plutarchum cum ma-
xiā animi delectatione legamus & relegamus. Hæc
facit, ut omnis Romani Historiæ cornucopias Dio-
nysium Halycarnassum, Pausaniam, Strabonem,
Ælianum, Diogenem Laërtium, & si qui sunt alii
hujus farinæ historici eruditis comprobati, suspicia-
mus, oculis quasi devoremus, & ex illis temporum
rationes, dicta, facta, Rerum publicarum periodos,
conversiones, & eversiones, & quæ nostris Rebus-
publicis accommodari poterunt, maximo Regum,
Principum, & Rerum publicarum commodo, puris-
simè hauriamus. Qui porro se in cœlum inferre, atq;
æthereum isthic lacunar perlustrare oculis gestit,
Græcæ scientiæ alis non subnixus, næ ille, ut cum
Flacco loquar,

---- Ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo datus
Nomina ponto.

In numeris, motibus, proportionibus, ponderibus,
mensuris, intervallis, sonis, figuris, radiis, umbris,
quod sciunt, qui sciunt, id omne Græcorum est, at
non omne, sed divitarum magnifarum tenues &
abjectæ reliquiæ. Vesta Sibyllæ folia, si uspiam, hic
sine falso reperta:

Ἐξ Ἰαδῶν γάρ τοισι θεοῖς θαλίησιν

Ex Jonum terrâ sapient quondam Italatellus.

D 2

Vero

Verò itaque verius, & certo certius est, quod Hedio
præceptor Erasmi Roterodami de Græcæ linguæ u-
tilitate versibus mnemonicis paulum à me immu-
tatis inclusit:

Qui vis Grammaticam perdiscere, discito Græcè,
Qui vis Rheticam perdiscere, discito Græcè,
Situ vis Logicam perdiscere, discito Græcè,
Situ vis Physicam perdiscere, discito Græcè,
Si Meta vis Physicam perdiscere, discito Græcè,
Sive Mathesis erit cordi, tu discito Græcè.

Videtis ex his omnibus, A.O, quanta Græcæ linguæ
utilitas in sui cultores redundet, quod omnis erudi-
tionis promus & condus sit, quod clavis Theolo-
giæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, & Philosophiæ, qvæ
intima earundem Facultatum adyta reserret, audia-
tur. Si quid igitur in me est votorum, ex animo vo-
veo, ut hoc ipso momento, linguæ Græcæ amore in-
flammemini, & blandissimas dominas voluptates,
optimam animi partem ab his studiis deducentes,
penitus evellatis. Hæc juventutem, quæ incerta est,
mobilis, & ad peccandum prona, præceptis refrena-
bit; hæc compedes aureas, ne eadem facile despue-
met in vecordiam, injicere parata est. Imitamini
Marcum Ciceronis filium, qui non missus ad Jonum
Mollitiem, non Bæotorum crassitiem, de quibus il-
lud Pherecratis extat: ἔντες Φευγῆς ἐν Φεῦγε τὸ βούτιον, non
ad Thebanam Suem, sed Athenas, tanquam ad mer-
catum artium bonarum, & linguarum. Cavere se-
dulo,

dulo, ne urbis, & Academiarum nostrarum autoritatem dedecoretis, & deturpetis, & quod pessimum est, inanes, artium & partium ignari, domum redeatis. Quod si vestrum studium erga hanc linguam perspexero futurum servidum, non committam, utullo modo desideriis vestris defuisse videar. Et, ut certi quid, de me, vestro Professore, vobis promittere queatis, spondeo, & in me recipio, post expeditum, quod mihi incumbit iter, & felicem redditum, ⁱⁿ ^{de}, me publicè aurea Theognidis carmina, quorum singula Disticha, virtutes & vitia; illas imitandas, hæc fugienda proponunt; & privatim Heliolum Alcræum analyticè, connotatis, quæ Ethicam & Politicam spectant, fideliter enucleaturum esse.

D I X I.

QUOD reliquum est, tibi, O DEUS! fundator, auctor & conservator Academiarum, supplices sumus, & devotâ mente tuam immensam Majestatem adoramus, ut hoc Ecclesiae, & Reipublicæ seminarium, hisce turbulentis, & bonis literis exitium minitantibus temporibus, sub alis misericordia tua favore, & ab omni malo protegere, & halcyonia eidem clementissime indulgere digneris. Conserva hujus almae nostræ nutritios, illustrissimos ac Celsissimos Principes, ac Dominos, DN: Adolphum Fridericum, Academæ Caneillarium Magnificentissimum, & DN: Gustavum Adolphum, Duces Megapolitanæ, Principes antiquæ & vetustæ Gentis Henetæ, Sverini, Ratzeburgi, item Comites Sverinenses, Rostochii & Stargardia Dynastas, Dominos nostros Clementissimos. Tuere O DEUS! Amplissimum & Prudentissimum hujus urbis Senatum, compatrones Academæ nostræ laudatissimos, da pacem domine in pomæriis nostris, ut sub eorum custodiâ tuti, securam vitam transigere valeamus. Vivant & florent in omnibus Facultatibus cum laude docentes, & discentes, donec splendescat cœlum sideribus, & terra segetes producat fructuosas, in dominis Divini honorem, & proximi salutem.

Gratiarum actio in area Collegii facta.

Magnifice Domine R E C T O R &c.

Imperator Julianus insignite jacundè in L. 7. C. de Profeſſor: & Med. in
haec erupit verba: Magistros studiorum, Doctoresque excellere oportet
moribus primū, deinde facundiā. Cum itaque hactenus Magister per
tredecim annos salutatus fuerim, mearum partium fore ratus sum, ut L. 57.
D. de V. S. probē ruminarem, & sapienter meum recolerem, ubi Paulus J C̄tus
dicit: Cui p̄cipua cura rerum incumbit, & qui magis, quam ceteri di-
lignantiam, & sollicitudinem rebus, quibus pr̄sant debent, hi Magistri
appellantur. Cujus effatum, quantum in me fuit, strenue secessatus sum.
Ceterum per facūdiam hīcnon intelligitur, Oratio solū Externa, & λέγος
ἐξω, sed & ὁ ἐσω, & περιφερός & εὐαλθετός. i. e. Externus & in-
ternus, sive ipsa δύναμις ἐμπηγευληή, seu vis interpretandi, in Omnibus
Facultatibus, Artibus & Scientiis usurpanda: In qua δότο τὸ οὐχών, seu à
primis, ut dicitur, ungviculis serio laboravi, & ulterius ratione officii
σύνθετο allaborabo. Quod mores concernit, honestos, castos, seculum, &
sanctum, ac reverendum Concilium decentes, in hac, & omnibus, in quibus
vixi Academiis, exhibui. Vitam hactenus sine labe exegi, nulla juvenili
culpā expallui, censuram, propter malitiam, nullius judicis subi. Quini-
mo, nullis schoristicis ac turbulentis actibus interfui, nullis duellis manus
meas maculavi, quo minus vestrum sanctum conselsum subire verecun-
dor. Hos mores ulterius urgebo, ita, ut senioribus filiale obsequium,
ac qualibet fraternum affectum, omnibus & singulis pietatem infuscata, &
Justitiam intemeratam αὐτομάτως promittam. Denuo omnibus & sin-
gulis, iteratas gratias repono, quod me in Collegium ducere, ac reducere
haud fuerint gravati; constabunt omnibus & singulis, sine ulla temporis
exceptione, officia mea promptissima, ac parata.

In eos, qui sermonis proprietatem negligentes, rem
ipsam spectare se dicunt, censura.

Rerum, inquit alii, nobis non linguarum cura est. Sed an non sunt
ipsae res linguis contentae; ac expressae? Et si nihil haberet Graeca lingua
in rebus ipsis utilitatis; haud equidem exigerem, ut in ea Juris Consultus
magnam operam collocaret. Zasius in Oratione quadam, Pandectæ in-
quit,

quit, omnem propè Philosophiam continent, & quæ naturæ sit, quæ man-
rum, quæve ratione consistat. Illic Dialecticis, Rheticisq; & locis &
argumentis referta omnia vides, sed & Poetici modi, schemata, figuræ
in eis quām apposite usurpantur, & ut verbo dicam, qui Pandectarum li-
bros exquisitè legerit, acutèq; pensitaverit, is tāri variarum Doctrinarum
vestigia velut impressa illic experietur, ut eam Vitruvii sententiam, qua
inter scientias rerum quandam conjunctionem, communicationemq;
dicebat, facile sit comprobaturus. Nec tamen in eis integræ illæ sunt Doctissi-
morum hominum traditiones, sed veluti à solidis corporibas divulsa, dis-
sectaq; membra, ita ab archetypis Juris-Consultorum libris volumina no-
stra decerpta & centonis instar consuta sunt. Quātò ampliores in veris
Codicibus ditioresq; divitias, si eam nobis fortuna felicitatem non invi-
disset, conspiceremus. Quod sane non sine mætore proloqvor: inter-
cidisse enim tot illustres labores, plus prope jacturæ posteritati contulit,
quām commodi addiderit Tribonianī lucerna: quod tamen alijs latius
tractamus. Hoc credo, in præsentia diffiteri nemo ausit, juris nostri scien-
tiani, quæ latissimis illis fūnibus extenditur, trivialibus ingenii non esse
temere afferendam, quām vix quispiam ex veritate profitebitur, nisi ali-
arum quoq; doctrinarum loca haud parum multa tractaverit. Ut non im-
merito à viâ illi mihi declinate videantur, qui post Accursianas Glossas, vul-
gatis quorundam Commentariis, tantam legis amplitudinem metuntur,
solitariaq; eorumq; lectione sufficiunt, de portu, de bravio, de statione
gloriantur: ea enim res, errorum nonnunquam fomenta non modica nu-
trivit. Cum enim relicta elegantissimâ Textuum proprietate, à Commen-
tariis velut à fune pendetur, illeq; ab alio arbitrarie opinionis sensa insu-
xerit, quæ & vel refragante textu, in sui magistri verba juratus, tueri per-
petrat, fieri videmus, ut soepe numero non tantum attendatur, quid legis
veritas exigat, quām quid communis prætendat opinio: quod certe juris
nostrī claritatem crassioribus nebulis offundit. Quod si eas opinionum fa-
ctiones dissimulaveris (non enim par esse potest omnium consensus) hoc
tamen quis veniā dignum esse dixerit. Quod ex eorum numero, qui ci-
vilia sibi defendunt, non pauci cœteras artes, quæ tamen in eis deside-
rantur, & maxime rei latinæ sinceritatem oppugnare pergunt: negantes
verboru: proprietatem observari oportere, dum de sensu constet: medullas
enim perdi, dum de verborum jure disceptes? Quo quid potest prætendi
absurdius? Quid doctis viris minus dignum? Quomodo enim Sensum le-
gis colligas, nisi verba observes? Ante ex Dodonæo lebete aliquis affla-

vit

vit sp̄iritus, qui nactem legis extraria divinatione colligas? Ergo *Labeo*
Juris Consultus erravit, qui, ut est apud *Gell*: lib. 3., de Vocab. origine,
& ratione, ad plerosque juris laqueos enodandos utebatur. Ergo totus
de legatis liber tertius concidet, qui tantopere verborum proprietates
est consecutus, ut etiam quid chartæ, quid lanæ appellatione veniret, non
tacuerit. Sed & jugulum felicibus animis Pomponio, Vlpiano, Paulo &
coeteris imminebit, qui verborum proprietates ita observavere, ut ex
eorum doctrinis, insignis de V. S. titulus nostris Pandectis Symbolum
dederit. Vadant proinde, & in angulum se contrudant, si qui sint misocalli,
qui has blaſtire ineptias non verentur, & discant aliarum artium, inpri-
misq; rei Latinæ cognitionem ita esse necessariam jura civilia profiteri vo-
lenti, ut qui secus ad Lucernas legales advolaverint, nihil mirum faciant,
si improviso pyraustæ more amburantur. Vos igitur A. integerrimi, ex ani-
mo hortor, ut humanas literas non deserentes, clarissimam illam juris ci-
vilis scientiam, in quā Reipubl.: gubernacula, pacis præsidia, imo & salus
viventium continetur, &, qua Pindaro teste, omnium sit & Domina
& Regina, pienter veneremini: eamq; studiis com-
pletamini.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73054849X/phys_0035](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73054849X/phys_0035)





Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn73054849X/phys_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn73054849X/phys_0036)



dulo, ne urbis, & Academam dedecoretis, & deest, inanes, artium & partis. Quod si vestrum perspexero futurum ferullo modo desideriis certi quid, de me, vestre queatis, Ipondeo, & tum, quod mihi incum
ovr. ^{θεον}, me publicè aurea rum singula Disticha, vi das, hæc fugienda propo dum Alcræum analyticum & Politicam spectant, fi

D

Quod reliquum est, tibi, O D^{ominus} Academiarum, supplices fam Majestatem adoramus, ut hoc turbulentis, & bonis literis exitiu misericordia tuae fovere, & ab omnibus clementissime indulgere digneris. C^{lementissimos} ac C^{elosissimos} Principe cum, Academiæ Canicularium M^{agni} Adolphum, Duces Megapolitania Henetæ, Sverini, Ratzeburgi, ite Stargardia Dynastas, Dominos no^m Amplissimum & Prudentissimum Academiæ nostræ laudatissimos, d^{omi} ut sub eorum custodiâ tuti, secura & florent in omnibus Facultatibus, nec splendescat cœlum sideribus, nominis Divini honorem, & pro



the scale towards document

strarum autoritat^e quod pessimum ri, domum redearga hanclinguam in committam, ut le videar. Et, ut re, vobis promic- ipio, post expedi- felicem redditum, is carmina, quo- tia; illas imitan- t privatim Heslo- sitis, quæ Ethicam cleaturum esse.

or, altor & conservator à mente tuam immen- publicæ seminarium, hisce us temporibus, sub alis gere, & halcyonia eidem almæ nostra nutritios, IL DN: Adolphum Frideri- um, & DN: Gustavum itiquæ & verusta Gentis verinenses, Rostochii & simos. Tuere O D^{OMINUS}: Senatum, compatronos me in pomæriis nostris, gere valeamus. Vivant scentes, & discentes, do- producat fructuosas, in-

Gra-